



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 110. Utraque factione Victoriam canente, re indecisa discessum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

§. CX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

*Utraque factio Victoriam canente,  
re indecisa discessum.*

Hujus colloquii acta, quæ Osiander *Spond. l. s.*  
Lutheranorum nomine vulgabat,  
adeo ab illis, quæ Xiländer pro Calvi-  
niana factione ediderat, diversa sunt,  
ut nihil aliud ex illis concludi potuerit,  
nisi quod in nullo puncto inter se con-  
venerint. Brentius quoque Luthera-  
norum actis præfigebat epistolam, in  
qua Calvinistis immodicam impuden-  
tiam, fastumque exprobrabat, Calvini-  
stæ econtra Brentium de mendacio,  
malaque fide redarguebant, jactitantes,  
quod Lutheranos tanquam Fratres  
suos habuissent: verum reponebant Lu-  
theri sectatores, quod velut Fratres a-  
gnoscerent illos, quibus nequidem  
in suis Ecclesiis locum concedere digna-  
rentur, sed potius illos tanquam a  
maligno spiritu obsessos, ac Christi Do-  
mini hostes a sua societate ejicerent.  
Ceterum Brentius, cujus nunc memi-  
nimus, primus *Ubiquitatis* Auctor crede-  
batur; cum enim rejecta transsub-  
stantiationis doctrina, Christum tamen  
vere præsentem esse in Eucharistia ad-  
strueret, ideo tradere cogebatur, quod  
Corpus Christi sit ubique per unionem  
perfo-

Sæcul. XVI. personalem, unde ejus Discipuli *Ubi-*  
A.C. 1564. *quistæ* appellabantur.

§. CXI.

*Scholæ in Parisiensi Jesuitarum  
 Collegio inchoatæ.*

*Sacchini hist. Soc. Jes. l. 8. n. 78.* **M**ense Augusto hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Jesuitæ, cum suam societatem in Galliis approbatam cernerent, adibant Julianum San-Germanum tunc Parisiensis Universitatis Rectorem, qui proprio suo motu Facultate haud consultata die decima nona Septembris illis diploma concessit, atque eosdem sub privato Rectoris sigillo Universitati aggregavit: Itaque harum literarum auctoritate freti Collegium suum, quod Claromontanum Societatis Jesu Collegium appellabant, aperiunt, eratque istud ingens domus, quæ vulgo Lingonensis Curia vocabatur, in platea sancti Jacobi sita, quam anno priori ab Episcopo Claromontano Prati Cancellarii Filio, qui pia legata fecerat, emerunt, ibidemque hoc anno die prima Octobris scientias publice tradere cæperunt, ubi primos Professores nominarunt Michaellem Vanegium pro humanioribus literis, Joannem vero Maldonatum Philosophico studio præfecerunt, scholarium quamplurimis mox eo confluentibus.

*Thu l. 37. Argentre Coll. Jud. de novis error tom. 2. p. 345.*